

Homilla Sancti Fulgentii Episcopi.
Ex *Sermone de Confessoribus.*

SI non omnes possunt implere, quod Dominus ait: Vendite quae possidetis; illud tamen, quod adiecit, dicens: Date elemosynam, omnibus est possibile, si ad sit bona voluntas; omnibus facile, si non adsit dira cupiditas; omnibus salubre, si ferueat caritas; cunctis debet esse commune, ut omnibus donetur aeterna felicitas. Qui ergo tantam virtutem accepit a Domino, ut omnia quae in mundo sunt; coelestis regni amore contemnat, quae habet vendat, & egenis expendat: qui vero tanta virtutis nondum est, de his quae habet, in quantum habet, elemosynam faciat.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dominum. Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum, alleluia. **V.** Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua. Ipse.

Lectio viij.

Perfectus possideat primum virtutis locum, imperfectus saltem perveniat ad secundum. Efficiatur ille gloriose dignus, sit iste laudabiliter largus. Sit ille sanctae paupertatis ardentissimus amator, sit iste sanctorum pauperum piissimus consolator. Habeat iste apud Deum patronos pauperes, quos ille se gaudet virtutis habere consortes. Sit ille talis, qui cum Domino iudicaturus sedeat, sit iste talis, qui ad dexteram iudicandus assistat. Sit ille talis, qui aeterna tabernacula perpetuo iure possideat, sit iste talis, quem ille recipiat.

R. Sint lumbi vestri praecincti, & lucernae ardentes in manibus vestris:

V. Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, alleluia. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos similes. Gloria Patri. Et vos similes.

Lectio ix.

Thesaurum nostrum, fratres, in caelis ponamus, ut etiam cor nostrum in caelis habere possimus. Necessè est enim, ut qui praecerit dilectionis thesaurus, illuc etiam cogitationis sequatur affectus. Ideo Veritas ait: Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. Ut ergo in caelis thesaurizemus, caelestia diligamus. Vis nosse ubi thesaurizas? Attendere quid cogitas. Ita fiet, ut thesaurum tuum ex tuo amore cognoscas, & amorem tuum indicio tuae cogitationis intelligas.

Te Deum laudamus, 13.

Te Laudibus fit Commemoratio S. Petronillae Virginis, ut in Breviar. Rom.

FESTA JUNII.

DIE I JUNII.
Tertia die infra Octavam S. Ferdinandi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermone Sancti Joannis Chrysostomi.

De S. Philogonio, ante medium.

Lectio ix.

AD hanc beatam requiem transeat beatus Ferdinandus: quam igitur oratio par sit viri laudibus, quem Deus tam felici sorte dignatus est? Non est ulla. Sed age, dic mihi, num idcirco silebimus? & cuius rei gratia convenimus? An dicemus nos haud posse magnitudinem gestorum oratione

ne

ne consequi? Atqui ob hoc ipsum necesse est dicere, quancumque haec est praecipua laudum illius pars, quod factis verba aequiparari non possint. Nam quorum benefacta naturam etiam sperant mortalem, perspicuum est, quod horum laudes excedunt linguam humanam. Haud tamen ob id aspernabitur officium nostrum, quod pro viribus praestamus, sed suum imitabitur Dominum; siquidem & illae viduae duos tantum obolos deicienti in gazophylacium, non tantum duorum obolorum mercedem, sed multo amplius reddidit.

R. Honestum fecit illum Dominum, & custodivit eum ab inimicis, & a seductoribus turavit illum? Et dedit illi claritatem aeternam, alleluia. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et.

Lectio vj.

Proinde quamvis nostrae facultates exiguae sint, minimique pretii, attamen, quae possumus, offerimus. Ea licet non respondeant magnitudini meritum animae praecleari justique Ferdinandi, tamen hoc ipsum celestissimum illius maximum fuerit argumentum, quod nec pusilla repellat, sed idem faciat, quod solent divites. Siquidem illi, cum acciperint a tenuibus exigua, quibus non egent, sua vicissim apponunt, remunerantes eos, qui quod poterant, obtulerint. Idem & hic, cum acciperit a nobis laudem & hic, cum acciperit a nobis laudem & hic, cum acciperit a nobis laudem per ipsa facta benedictionem, qua semper uti possimus.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriae induit eum, & ad portas paradisi coronavit eum, alleluia. **V.** Induit eum Do-

minus stolam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio vij.

Unde igitur laudationem illius auspicabimur? An a magistratu, quem spiritus illi tradidit gratia? Nam mundani magistratus nequaquam possunt Christianorum demonstrare virtutes, quin potius frequenter habent accusationem malitiae. Quam ob causam? quoniam & sollicitudines amicorum, & circumcuraciones, & adulationes, aliaque permulta his foediora tales magistratus solent conciliare. Caeterum ubi Deus suo suffragio designat aliquem, incorruptum suffragium, alienum ab omni suspicionem iudicium, indubitata fuerit delicti comprobatio propter eum, qui delegit, auctoritatem.

R. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingeredere in requiem meam. Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus, alleluia. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad caelestia regna. Quia te, Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij.

Cap. 12. a

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilla Sancti Petri Chrysologi.
Ex *Sermone 22.*

Praemia statuuntur iis semper, quibus certamina dura proponuntur: ac pro magnitudine certaminis, praemii proponitur magnitudo. Hinc est, quod discipulis suis Christus regnum ponit in praemio, ut in certamine non cedant periculis, non timori. Pericula des-

picit, qui tendit ad regnum: victoria cupidus nescit timere. Nolite timere, inquit, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Grex pusillus mundo, magnus Deo: pusillus, quia gloriosus vocat eos, quos instituit ad ovium innocentiam, & mansuetudinem Christianam.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum, alleluia. **V.** Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinentes se ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua. Ipse.

Lectio vii.

Adjecit quid faciendum sit regnaturis: Vendite quae possidetis. Non potest dominari omnibus, nisi is qui propriis non tenetur. Dejecta mentis est, qui familiaris rei meminit, cum vocatur ad regnum; jacens animus plebejus nummulum thesauris regalibus antepōnit. Pauper sensus parvis incubans, perdit magna: & inhians temporalibus, deserit sempiterna. Homo, tali monitu Christus te citare voluit, non nudare: manere tibi tua voluit, non perire: perpetuari, non vacuari saeculus imperavit: jussit te transferre, non perdere.

R. Sint lumbi vestri praecincti, & lucerna arcentes in manibus vestris, * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, alleluia. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio ix.

Plus consilio patris agit, quam jure dominantis. Inter insidias latronum & tinearum morsus quare tur recondas, objurgat: pervigiles

noctes, dies anxios, sollicita tempora ne tibi ipse facias, commonearis. Auri custos, servator argenti, securitatem non habet, nescit quietem; & cui deest securitas, quies perit; poena dives est ille, non censu. Theaurum non deficientem in celo: hoc est dicere: Ubi ego sum, ibi ponite: date mihi, ego servo. Homo, da Patri, crede Deo: quia & heredi Pater, & Deus homini creditum non negabit: tenere tua non potest, quia sua dedit.

Te Deum laudamus. 13.

In ij. Vesperis fit Commem. S3. Marcellini, Petri, atque Erasmi Martyrum.

Oratio ut in Breviario.

DIE II. JUNII.

Quarta die infra Octavam S. Ferdinandi.

In secundo Nocturno.

De Sermone Sancti Joannis Chrysostomi.

Unde supra, paulo post.

Lectio iv.

Qantum autem sit pietatis argumentum, quod Deus illum tanto magistratu dignum judicavit, audi. Christus excitatus a morte, quid dicit Petro? Postquam enim interrogasset: Petre amas me? isque respondisset: Tu Domine scis quod amo te; dicit illi: Si diligis me, pascere oves meas. Hoc autem dicebat, non solum ut nobis certissime declararet, quantum operi ipsum diligeret Petrus: verum etiam, ut palam faceret, quantum haberet benevolentiam erga suas oves. Itaque si quis voluerit illi commendatus esse, curam habeat ovium illius, publicam quaerat utilitatem, fratrum suorum salutem prospiciat.

R. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum: * Et de-

desit illi claritatem aeternam, alleluia. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Nullum enim officium hoc Deo charius est; & ob id alcubi dicit: Simon, Simon, expetivit te satanas, ut cribraret te tanquam triticum, sed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Quid igitur hujus sollicitudinis curaeque praemium mihi rependis? eandem curam, quam nobis impendit, reposcit. Nam & tu, inquit, aliquando conversus confirma fratres tuos. Neque prosums alia res est, quae perinde declaret, doceatque quis sit fidelis, & amans Christi, quam si fratrum curam agat, proque illorum salute gerat sollicitudinem.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriae induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum, alleluia. **V.** Induit eum Dominus loricae fidei, & ornavit eum. Et ad.

Lectio vi.

Hae omnes audiant & Monachi, qui montium occupaverunt cacumina, quique modis omnibus seipsum mundo crucifixerunt, quo pro viribus Ecclesiarum praefectos adjuvent, horumque curas leniant praebus, concordia, charitate; scientes, quod nisi modis omnibus opulentur iis, qui tot periculis objiciuntur, per gratiam Dei, totque negotiorum curas sustinent, quibuscumque possunt rationibus auxilientur, quamquam procul habitantes, & victus sors ipsis perisset, & tota in scopulum impigerisset sapientia.

R. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrederere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me

ex omnibus gentibus, alleluia. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad caelestia regna. Ipse intercedat. Gloria Patri. Ipse intercedat.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii.

Cap. 12. d

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia Sancti Petri Chrysostomi.

Ex Sermone 23.

Audistis hodie, quemadmodum Dominus pastorali júbilo clangorem tubae caelestis adjunxit, ut diu inclinatas ovium mentes ad divina tolleret, caeleste protinus promoveret ad regnum. Acquisivit humilitas, superbia quod amisit: & grex pusillus ac mitis, rotas & variarias edomuit propria mansuetudine feritates: pusillus grex vicit, ac fregit tot genera bestiarum, quot diversitates subdidit juxta Christi nationum.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum, alleluia. **V.** Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinentes se ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua. Ipse.

Lectio viii.

Grex pusillus ac mitis diu contentus occidi, diu devorari passus est, donec gentis savitia sanguine satiata, vel carnibus, Evangelici pabuli suavitate, & divini fontis fluente degustans, totum contagium saeculi evitaret, & pastum: atque in hominem rediret ex bestia, qui ex homine fuerat dilap-

lāpsus in bēstiam. Hoc sensiste antē Prophētas, hoc Apostolos implese, hoc pertulisse Martyres constat, attestante illo qui dicit: Propter te mortificāmur tota die, astimati sumus ut oves occisionis. Ut verò iste grex novī ordinis aggrederetur praelium, ubi vivit ille qui fuit occisus: imitatus est suum Regem, illum secutus est Agnum, qui sicut ovis ad occisionem ductus est.

¶ Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: Et vos similes hominibus expectantibus dōminum suum, quando revertatur à nuptiis, alleluia.

¶ Vigilāte ergo, quia nescitis quā horā Dōminus vester ventūrus sit. Et vos. Glōria Patri. Et vos.

Pro SS. Marcellino, Petro, atque Erasmo Martyribus Lectio ix. ut notatur in Breviar. & fit Comm. eorum in Laudibus.

DIE III. JUNII.

Quinta die infra Octavam S. Ferdinandi.

In ij. Noct. Ex libro Moralium S. Gregorii Papæ. Deridetur justī simplicitas, ut in Breviar. de Comm. Conf. non Pontif. ij. loco.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij.

Cap. 12. d.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia S. Petri Chrysostogi.

Unde supra.

Sed audiamus jam, quid pusillo gregi talis promiserit pastor. Nolite timere, inquit, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. O bonitas effusa! o inaudita pietas! o ineffabilis affectio! In societate cen-

sus pastor oves assumit, atque ad consortium dominationis servos Dōmini adsciscit: ad principatum regni Rex gregem pōpuli totius admittit. Sic, sic dat, cui deficere cenus, cui regnum minui, vacuari potestas non potest, largiēdo.

¶ Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dōminum: Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum, alleluia. ¶ Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, & p̄rmanens in innocentia sua. Ipse.

Lectio viij.

Ecce qui dat, dare loquitur Patrem. Numquid largitatem suam denegat, sic dicēdo? Absit: non potestatem minuit, sed pandit affectum, sic dicēdo: non distantiam facit, sed Patris suamque voluntatem monstrat, firmat unitatem. Quod autem dixit: Complacuit; & non dixit, Placuit; munus edocet Trinitatis: quia quod erga nos Filio placuit, hoc complacuit Trinitati.

¶ Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: Et vos similes hominibus expectantibus dōminum suum, quando revertatur à nuptiis, alleluia. ¶ Vigilāte ergo, quia nescitis quā horā Dōminus vester ventūrus sit. Et vos. Glōria Patri. Et vos.

Lectio ix.

Post tantam ergo Dōmini largitatem, post suam gratiam tibi copiosius collatam, abiecta & villa pecūlia servitutis juber abicere regnātūrum. Vendite quæ possidetis, & date elemōsynam. Plebēum cultum régia non admittit potestas, augustus honor nonnisi diadēmate confertur & purpurā. Abicere ergo debet habitum servitutis, qui se regem credit divi-

ni-

Lectio v.

Tunc enim cum Deo iudices veniunt, qui nunc pro Deo injuste judicantur. Tunc eorum lux tantò latius emicat, quāto eos nunc manus persecutorum durius angustat. Tunc reproborum oculis patescet, quod cœlesti potestate subnixi sunt qui terrēna omnia sponte reliquerunt. Unde electis Veritas dicit: Vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel. Neque enim plusquam duodecim iudices illa intēri concessus curia non habebit, sed mirum duodenario numero quantitas universitatis exprimitur: quia quisquis stimulo divini amoris excitatus, hic possessa reliquerit, illic proculdubio culmen iudiciariæ potestatis obtinebit.

¶ Amavit eum Dōminus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, & Et ad portas paradisi coronavit eum, alleluia. ¶ Induit eum Dōminus lorica fidei, & ornavit eum. Et ad.

Lectio vj.

Hinc est enim, quod de sanctæ Ecclesiæ sponso per Salomonem dicitur: Nobilis in portis vir ejus, quando sederit eum senatoribus terræ. Hinc Isaias ait: Dōminus ad iudicium veniet cum senioribus pōpuli sui. Hinc eosdem seniores Veritas non jam famulos, sed amicos denūtiat, dicens: Non jam dicam vos servos, sed amicos meos. Quos Psalmista intuens, ait: Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus. Quorum dum celsitudinem cordis aspiceret, mundi glōriam quæ calce calcerent, proutinus addidit: Nimis confortatus est principatus eorum. Ac ne pau-

Dddd 4

cos

nitus consecratum. Est consuetudinis, est animi felicitas, ut adscitus ad regnum, quod fuit proprium, quod privatum; mox parentibus, mox propinquis, civibus indigentibus, liberaliter prorogare, ne sit mendicis animo, qui censu functus & honore.

Te Deum laudamus. 13.

DIE IV. JUNII.

Sexta die infra Octavam S. Ferdinandi.

In secundo Nocturno.

Ex libro Moralium Sancti Gregorii Papæ.

Lib. 10. cap. 16. in cap. 12. Job.

Lectio iv.

Enē justī simplicitas, & lampas esse dicitur, & contempta: lampas, quia intērius lucet; & contempta, quia extērius non lucet. Intus ardet flammā charitatis, foris nullā gloriā respundet decoris. Lucet ergo, & despicitur, qui flagrans virtutibus abjectus estimatur. Sed usquequod lampas ista contēmitur, usquequod despiciabilis habetur? numquid non fulgorem suum nullatenus exerit, & nunquam, quantā charitate candeat, ostēdit? Ostēdit planē: nam proutinus additur, paratā ad tempus statūtum. Statūtum quippe contēptæ lampadis tempus, est extrēmi iudicii prædestinatus dies, qui justus quisque, qui nunc despicitur, quanta potestate fulgeat, demonstratur.

¶ Honestum fecit illum Dōminus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: Et dedit illi claritatem æternam, alleluia. ¶ Iustum deduxit Dōminus per vias rectas, & ostēdit illi regnum Dei. Et.

cos esse credemus, quos proficere usque ad summam tantæ perfectionis agnoscimus, illico adiunxit: Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. Quot itaque nunc pro amore veritatis sese libenter humiliant, tot tunc in iudicio lampades cortuscant.

¶ Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrederere in requiem meam: **•** Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus, alleluia. **¶** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cælestia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii.

Cap. 12. d.
In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilla S. Petri Chrysologi.
Unde supra.

Tali ergo providentiâ Dominus, consilio tali, vilia & caduca jubet ut vendamus, ut largiamur, ut donemus, qui in cælesti regno omnia, quæ in cælo & quæ in terra sunt volumus possidere. Sed si vis servare tuorum prætia prædiõrum, & sæculõrum fortè condita te delectant, fac tibi sæculos quales ille præcepit, qui jam cupiditatis tuæ custos est & provisor. Denique ut vidit quod diriter dixit, Vendite quæ possidetis; mox adjecit, Facite vobis sæculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis.

¶ Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dominum. **•** Ipse intercedit pro peccatis omnium populõrum, alleluia. **¶** Ecce ho-

mo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua. Ipse intercedat.

Lectio viii.

Iterum contristatus es; qui quod habes, in cælis cogeris collocare. Rogo, crede Deo tuo, qui servo credis: magis Deo quam homini commenda. Sed si times ne quid inde præsumat, ne quid despergat pietas largitoris, signa fidei annulo sæculos tuos, ut tali custode dormias tu securus: quia ubi ille est, ibi locus nullus est furi. Non poterit tibi tuam pecuniam denegare, qui tibi omnia sua contulit, qui te regi sui & honore ditavit & glória.

¶ Sint lumbi vestri præcincti, & lucerne ardentes in manibus vestris: **•** Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur à nuptiis, alleluia.

¶ Vigilate ergo, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Ex Sermone 25. circa finem.

Lectio ix.

Novo modo, imò cælesti modo, qui hunc audit, vendendo comparat, recondit erogando; dum amittit, acquirit. Quam cupit pecuniam perdurare, perpetuare sæculos divitiarum, condita permanere, qui dicit, Facite vobis sæculos qui non veterascunt. Ecce docet avaritiam, qui ceperat suadere contemptrum. Et qui thesaurizans temporaliter arguebat, ad totum cupiditatis fomitem jubet sæculos sine fine perquiri, Christe, quò te pertrahit amor tuõrum? Ut avaram lucrificias, facis eum quod desiderat, non quod oportet audire: sæculos imperas, ut avarus, dum consueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat,

piat, aut à virtute capiatur. Te Deum laudamus. 13.

DIE V. JUNII.

Septima die infra Octavam S. Ferdinandi.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.
Sermone 1. de S. Victore.

Lectio iv.

Sancti Ferdinandi vita & glória specialis, non tam ad gloriã, quam ad virtutem provocat omnes, qui recto sunt corde. Non recti planè, sed perversi est animi, antè querere gloriã, quam exercere virtutem, & velle coronari, qui legitime non certaverit. Vanum est vobis, inquit, ante lucem surgere. Itã est: frustrã ad celsitudinem nititur glória, qui prius non claruit virtute. Frustrã fatuæ virgines sponso obviam surgunt, quarum lampades extinguuntur: & ideo fatuæ, quia vacuis gloriãntur lampadibus, virtutis oleum non habentes.

¶ Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & ad seductõribus tutavit illum: **•** Et dedit illi claritatem æternam, alleluia. **¶** Justum dedoxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Virtus, gradus ad gloriã; virtus, mater glória est. Fallax glória, & vana est pulchritudo, quam illa non parturivit. Sola est, cui glória jure debetur, & secure impenditur. Sancto Ferdinando nec virtus, nec glória deest: sed quemadmodum ambo res, & quò ordine in homine processerunt, id opere prærium intueri. Habemus enim, dulcissimi, in vita Ferdinandi, & quod dignè mireremur, & quod salubriter imitemur. Tutius sanè æmulanda solidiora, quam su-

blimiõra, & quæ magis virtutem redolent, gloriã minus. Studeamus proinde moribus conformari, cui in mirabilibus similari, etsi volumus, non valemus.

¶ Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, **•** Et ad portas paradisi coronavit eum, alleluia. **¶** Induit eum Dominus lorice fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

ÆMulèmur in viro sóbrium victum, devotum affectum; æmulèmur mansuetudinem spiritus, castimoniam corpõris, oris custodiam, animi paritatem, ponere fratrum iræ, & modum lingue, dormire parcius, orare frequentius, commonere nosmetipsos psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, dièbus jungere noctes, & divinis laudibus occupare; æmulèmur charismata meliora. Æmulèmur, inquam, quòd extitit liberalis in pauperes, patiens ad peccantes, benignus ad omnes. Hoc enim melius. In his forma est, cui imprimamur: in miraculis glória, à qua reprimamur. Ista lætificent, ista adificent: moveant illa, ista promoveant.

¶ Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrederere in requiem meam: **•** Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus, alleluia. **¶** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cælestia regna. Quia te. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii.

Cap. 12. d.
In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia Sancti Petri Chrysologi.

Post supradicta.

Verè Pater es, ò Christe, qui cum tuis quibuscumque parvulis sic agis. Namque & nos interdum nostris parvulis petentibus noxia, ingerimus salutaria sub specie noxiarum, fallentes insipientiam, non decipientes affectum. Dixisti: Facite vobis sacculos, qui non veterescunt. Sacculus cur paratur? quid ibi claustra, ubi ipsa custos est innocentia? ibi quid signaculum, ubi fraudis suspicio non habetur? si & in celo sacculus opus est, cura non amittitur, sed mutatur.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dominum: Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum, alleluia. **V.** Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua. Ipse.

Lectio viij.

Domine, tu vidisti, quia in thesauris tota fides, tota spes in sacculis sit avaris; & ideo impetrabiles in celo sacculus vis parari; ut qui te non sequitur ad cælum, sequatur saltem sacculus suos. Avare, fac tibi sacculus, & fac jubente Deo: quia votis tuis annuit divina majestas. Sed fac tibi sacculus erogando: quia quidquid pauper acceperit, Pater cælestis suscipit. Et ubi recondit? in celo. Et ne fortè perdidisse te doceas, vel usuram, centuplum in cælesti fenore recipies, quidquid in cœlum paupere transieris perferente.

R. Sint lumbi vestri præcincti, & lucerne ardentes in manibus vestris: Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur à nuptiis, alleluia.

V. Vigilate ergo, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

Usura mundi centum ad unum, Deus unum accipit ad centum: & tamen homines cum Deo nolunt habere contractum. Sunt forsitan de cautione solliciti. Quare? nonne homo homini exiguae chartula obligatione constringitur? Deus tot & tantis voluminibus cavet, & debitor non tenetur? Sed cicis: Esto quod debeat, quo exigente restituet? Seipso: quia non potest ille mentiri, idem ipse est & executor, & debitor. Non erit in reddendo durus, qui profusus est in largiendo. Crede homo Deo, quod tibi Deus dedit: majora reddere vult, cum vult debere largitor.

Te Deum laudamus. 13.

DIE VI JUNII.

In Octava Sancti Ferdinandi.

Duplex.

Omnia ut in die Festi, præter Lectiones, quæ dicuntur ut infra. Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermone S. Bernardi Abbatis.

Sermone 2. de S. Victore.

Lectio iv.

Gaudete in Domino, dilectissimi mi, qui inter continua sue pietatis beneficia indulsit hominem mundo, & cuius multi salvarentur exemplo. Iterum dico gaudete, quod factus de medio appropriavit Deo, ut multo plures ejus intercessione salventur. In terris visus est, ut esset exemplo: in cœlum levatus est, ut sit patrocinio. Hic informat ad vitam, illic invitatur ad gloriam. Factus est mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui sibi jam postulat

lans nihil, totum in nos transferre desiderat, & supplicantis affectum, & supplicationis fructum. Quid enim quaerit sibi, qui nullus eget? **R.** Honestum fecit illum Dominus: & custodivit eum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum: Et dedit illi claritatem æternam, alleluia. **V.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Hæc dies gloriôsæ migrationis ejus, dies letitiæ cordis ejus: exultemus, & letemur in ea. Intraivit in potentias Domini, gaudemus, quia nunc potentior est ad salvandum. Hodie Ferdinandus posito corpore, tantò alacrior, quanto expeditior penetravit in sancta, similis factus in gloria Sanctorum. Hodie despècto mundo, & mundi principe triumphato, supra mundum victor ascendit, accipiens de manu Domini coronam victoriæ. Ascendit autem cum immensa suppellectili meritòrum, clarus triumphis, miraculis gloriòsus. Sed et veteranus miles, debita jam suavitate & securitate quiescit: securus quidem sibi, sed nostri sollicitus. O venerandum etiam ipsis Angelis sanctitatem: quam pari studio, etsi dispari voluntate, & mali fugitant, & frequentant boni. Nec facile dixerim, quid virum astruat sanctiorem, horum favor, aut pavor illorum.

R. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum: Et ad portas paradisi coronavit eum, alleluia. **V.** Induit eum Dominus loriceam fidei, & ornavit eum. Et ad.

Lectio vi.

Omnes miles emérite, qui Christianæ militiæ duris laboribus Angelicæ felicitatis requiem com-

mutasti; respice ad imbellés & imbecilles commilitones tuos, qui inter hostiles gladios, & spirituales nequicias tuis laudibus occupamur. Quam pium, quam dulce, quam suave, ò Ferdinando, in hoc loco mortis te canere, te colere, te precari! Nomen tuum, & memoriale tuum, favus distillans in labiis captivorum, mel & lac sub lingua eorum, qui tui memoriâ delectantur. Eja ergo fortis athlèta, dulcis patròne, advocatè fidelis, exurge in adiutorium nobis; ut & nos de nostra erectione gaudeamus, & tu de plena victoria glorièris.

R. Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrederè in requiem meam: Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus, alleluia. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio vij.

Cap. 12. d.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, qui complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia S. Petri Chrysologi.

Ex Sermone 25. in initio.

Hodie Dominus Evangelicis gregis pusilla & tenera primordia quam blandâ exhortatione sit consolatus, audistis. Aufert spes anxias, dubios tollit eventus, omnem que propellit & excludit timorem, quando in exordio ipso regnum nascentibus pollicetur. Quis de victu, quis de vestitu, quis de plebeio censu, & vernalis cœspitis vilitate suspirat, de regno certus, de dominatione securus? Satis sibi invidet

det, qui elevatus ad summa, ipse se ad humilia dejecit, ad egēna depōnit.

V. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dōminum: Ipse intercedat pro peccatis omnium populōrum, alleluia. **V.** Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, & p̄manens in innocentia sua. Ipse intercedat.

Lectio viij.

Sed scire cōvenit, Pater iste qui est, vel qualis est, vel quod regnum suis filiis repromittit. Quis sit iste Pater, quotidie te cōfiterēti cognōscis, cūm clamas: Pater noster, qui es in cōclis. Qualis autem sit, ipsa operum magnitudine perdidisti. Ex nihilo fecit cōclum, terram solidavit ex liquido, montes statuit ad statēram, maria intra legitimos tēminos solā p̄cēpti auctoritate cōclūsit. Verūm si regni, quod promittit pusillis, desideras nosse qualitatem, ipse aperit, sic dicēdo: Sinite parvulos venire ad me; tālium est enim reg-

num cōclōrum. Esse in cōelo mirum est: in cōelo vivere, est majestatis.

R. Sint lumbi vestri p̄cincti, & lucernae ardentes in manibus vestris: Et vos similes hominibus expectantibus dōminum suum, quando revertatur à nūptiis, alleluia. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis quā horā Dōminus vester ventūrus sit. Et. Glōria Patri. Et.

Lectio ix.

Quid ergo cum terra illi, qui possidet cōelum? quid illi cum humanis, qui indēptus est jam divina? Nisi forte placent gēmitus, eliguntur labōres, amantur pericula, p̄ssima mors delēctat, & illāta mala bonis sunt gratiōra collātis. Sed videamus, quod dat Pater tantus consilium regnat̄ris. Vendite quae possidetis, & date eleēmōsynam. Si victuros vos, si regnat̄ros, si vos jam divites esse creditis in sup̄ernis, ubi futuri, quō migraturi, ubi regnaturi estis; vos illa, quae vestra sunt, jam p̄cedant: opes miseras misericiōrdiā computate: quae humani sunt in divina cōvertite.

Te Deum laudamus. 13.

OFFICIUM
B. MARIE VIRGINIS
DE GUADALUPE, MEXICANÆ,
SIVE REGNI NOVÆ HISPANIÆ,

Quod in omnibus Dominis Catholico Hispaniarum Regi subjectis recitandum sub ritu Dupl. maj. die ab Ordinariis assignanda (excepta Dominica) Benedictus Papa XIV. benigne concessit.

DUPLEX MAJUS.

Omnia dicuntur ut in Festo ad Nives die v. Augusti, prater propria.

Ad Magnificat, Antiphona.

Elégi, & sanctificavi locum istum, ut sit ibi Nomen meum, & permāneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diēbus, alleluia.

Oratio.

Deus, qui sub beatissimā Virginis Mariæ singulari patrocinio constitutos perpetuis beneficiis nos cōmulari voluisti: presta supplicibus tuis; ut ejus hōdie commemoratiōne letamur in terris, ejus cōsp̄ctu perfuamur in cōclis. Per Dominum nostrum, &c.

Ad Matutinum, omnia ut in Festo ad Nives, prater Lectiones.

In primo Nocturno.

De libro Ecclesiastici.

Lectio j.

Ego ex ore Altissimi prodivi, primogēna ante omnem creaturam. Ego feci in cōclis, ut oriētur lumen indetiēciens, & sicut nēbula texti omnem terram. Ego in altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis. Gyrum cōeli circūivi sola, & profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi, & in omni terra steti: &

in omni pōpulo, & in omni gente primatum habui: & omnium excellentium & humilium corda virtutem calcavi: & in his omnibus rēquiem quasivi: & in hēreditate Dōmini morabor. Tunc p̄cēpit, & dixit mihi Creator omnium: & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Jacob inhābita, & in Israēl hēreditare, & in electis meis mitte radices.

R. Vidi speciosam sicut colūbam, ascendentem dēsuper rivos aquarum: cujus inestimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus. Et sicur dies verni circūdabant eam flores rosarum, & lilia convallium. alleluia. **V.** Quae est ista, quae ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromātibus myrrhæ, & thuris? Et sicur.

Lectio ij.

AB initio, & ante saecula creata sum, & usque ad futurum saeculum non desinam, & in habitatiōne sancta coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, & in civitate sanctificata similiter requievi, & in Jerisalem potestas mea. Et radicavi in pōpulo honorificato, & in parte Dei mei hēditas illius, & in plentitudine sanc-